








600016088T







DE ULCERUM DIAGNOSI ET AETIOLOGIA NONNULLA.

COMMENTATIO MEDICO-CHIRURGICA

AUCTORE

CAROLO RUST

MED. ET CHIRURG. DOCTORE.

ACCEDUNT TABULAE VII COLORATAE.

BEROLINI,

APUD TH. CHR. FR. ENSLIN.

1831.

QUI BENE DISTINGUIT, BENE MEDEBITUR.

VIRO

CELSISSIMO, EXCELLENTISSIMO

GENEROSISSIMO

LIBERO BARONI

STEIN AB ALTENSTEIN,

REGIS INTIMO IN REPUBLICA ADMINISTRO SUMMI MAGISTRATUS RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE PRAESIDI, ORDINIS DE AQUILA RUBRA PRIMAE CLASSIS ALIORUMQUE ORDINUM INCLITORUM EQUITI AURATO ETC. ETC.

SCIENTIARUM ARTIUMQUE PATRONO

LIBERALISSIMO

O me felicem, cui obvenit sors faustissima, sub Tuis auspiciis agendi cursum incipere!

Serva mihi, Excellentissime, clementiam benevolentiamque Tuam inaestimabilem. Sis mihi quoque patronus et defensor.

C. RUST.

LECTURIS

S.

Magnae sane ac multifariae sunt difficultates, quae sese obtrudunt tironi, materiem circumspicienti, de qua, si vires impares non sint, conscribere possit opusculum, ad obtinendos supremos in arte sua honores.

Quas difficultates inprimis emanare ex usu et experientia nondum confirmatis, nemo ignorat; his enim efficitur, ut tirones exarare soleant libellos, nec vera utilitate conspicuos, neque frugifera doctrina praesignes.

Quidquid sit, tironis esse puto, ut dissertationem conscribendo et sani judicii et peritiae debitae, quae intra solitum studiorum tempus impetrari possit, specimina edat.

Plurimae, quae nostro aevo in lucem prodeunt, dissertationes inaugurales, aut physicam aut physiologicam materiem praelibantes, vel singularium morborum historias exhibentes, vel excerptorum et citatorum e scriptis bene notis farraginem apponentes, vix et ne vix quidem candidorum arbitrorum desideriis satisfaciunt.

Ne igitur, oleum operamque perdendo, libellum inanem atque vilem, omni indignum indulgentia, conscriberem, materiem mihi desumsi, quae virium modo consentanea videbatur.

Favente enim summo numine, oblata mihi est opportunitas, per omne studiorum tempus praecepta hauriendi Viri peritissimi atque eruditissimi, quem patrem venerari, dulce mihi est officium.

Id ergo molior, ut, quae praeceptor dilectissimus in scholis de helcologia discipulis solet offerre, quoad virium mearum tenuitas atque imbecillitas patitur, lectoribus proponam.

Me patris auxiliatrice manu in coordinandis materiis non plane caruisse, ingenue fateor; at specialiorem operis elaborationem ex toto mihi commisit pater, quamobrem, quae in eo reperiantur errata, non patris, sed mea sunt. Veruntamen hoc specimen inaugurale, qualecunque sit et quam parum numeris suis absolutum, sedulo me atque diligenter in hancce rem incubuisse, testimonia exhibiturum confido.

LIBRORUM NOSTRA DE MATERIE CONSULENDORUM INDEX.

Hofmann, Diss. ulcerum aetiologia vera et circa curam cautelae. 1703.

Junker, Diss. de abscessuum et ulcerum indole diversa. Hal. 1745.

Hamberger, Diss. de ulcerum pathologia. Jenae 1753.

Valenzi, Diss. de ulceribus. Viennae 1757.

Astruc, J., Traité des tumeurs et ulcères. Vol. 1. 2. Montpell. 1759. 8.

Astruc, J., De morbis venereis libri IX. Ed. nov. 2 Tom. Venet. 1760. 4.

Mangold, Diss. de generibus et speciebus ulcerum. Erf. 1765. — In Mangoldi opusc. med. phys. No. 8. 1769.

Malzahn, Praes. **Böhmer**, Diss. de ulcerum externorum sanatione difficili ob illorum morbis viscerum complicationem. Halae 1762. — **Weiz** Auszüge, Bd. V. S. 19.

Nietzky, Diss. de callorum circa ulcera ortu, effectu, praeservatione et curatione. Halae 1762.

Fabré, Traité des maladies veneriennes. trois. ed. Paris. 1773. 8.

Fabré, Abhandlung v. d. ven. Krankh. Aus dem Franz. v. L. F. **Schröter**, mit Vorr. u. Anm. v. J. Clem. **Tode**. 2 Thl. Koppenhagen 1778. 8.

Bell, **Benj.**, A treatise on theory and management of ulcers etc. Edinb. 1778. 8. Aus dem Engl. Leipz. 1779. gr. 8. — Neue verb. u. vermehrte Ausg. Ebend. 1793. 8. — E. **Benj. Hebenstreit** Zusätze zu **Benj. Bell's** Abhandl. v. d. Geschwüren etc. Leipz. 1793. 8.

Bajans Abhandl. v. Wunden, Geschwüren und Entzündungen. Erf. 1780.

Bertrandi, Theor. pract. Abhandl. v. den Geschwüren, nach der, mit Anmerkungen v. **Penchienati** und **Brugnone** vermehrten Ausgabe. A. d. Ital. nebst Noten des deutschen Uebersetzers. Erfurt 1790. 8.

Fäustel, De ulceribus et praecipue chronicis. Helmst. 1790.

Loewenthal, Praes. J. **Dan. Metzger**, Diss. helcologiae aetiologicae specimen. Regiom. 1791.

Webers, A. G., Allgemeine Helkologie, oder nosologisch-therapeutische Darstellung der Geschwüre etc. Berlin 1792. 8.

Rush, Abhandlung über d. Ursachen u. d. Heilart d. Geschwüre an den untern Extremitäten. In **Rush's** neuen med. Untersuchungen u. Beobachtungen. No. 9. Leipz. 1792.

J. Th. K., Entwurf v. d. Entstehungsart und einer gründlichen Heilmethode bösartiger alter Geschwüre und Schäden. Leipz. 1799. 8.

Nayler, Rich., A cursory view of the treatment of ulcers. London 1800. 8.

Castelli, I., Trattato de ulceri e lor cura etc.

Hecker, A. F., Deutliche Anweisung, die vener. Krankh. genau zu erkennen und richtig zu unterscheiden. 2. Aufl. Erfurt 1801. 8.

Berger, Ueber die Erkenntnifs und Kur der wichtigsten äufserlichen Krankheiten etc. Erster Theil. VII. Geschwüre. Erfurt 1808.

Henke, Fragmente über die Pathogenie und Therapie der Geschwüre, in Horn's neuem Archiv für Med. Bd. V. Hft. 1. S. 14, 30 u. 31. 1805.

Champelle, C., Neue und geprüfte Mittel, den Krebs und alle bösartige, fressende, scrophulöse Geschwüre zu heilen. A. d. Franz. m. Anm. v. Lehmann. Leipz. 1809. gr. 8.

Rust, J. Nep., Helkologie, oder über die Natur, Erkenntnifs und Heilung der Geschwüre, nebst einem Anhange sich darauf beziehender Beobachtungen. 2 Bde. Wien 1811. gr. 8.

Boyer, B., Traité des malad. chirurg. Tom. II. pag. 365. Paris 1814.

Wenzel, Carl, Ueber die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Mainz 1815. 8. — **Mursinna's** Bemerkungen darüber in dessen Journal Bd. V. S. 189. 1820.

Hahnemann, Sam., De ulceris venerei cancrosi ortu et curatione. Lips. 1812. 4. 2. Edit. Lips. 1817. 8.

Hoffmann, C. Rich., Sententia de suppurationis natura. Erlangen 1818. 8.

Caroult, F., Essai sur les ulcères de la peau. Paris 1819. 4.

Louvrier, J., Nosographisch-therapeutische Darstellung syphilit. Krankheits-Formen, nebst einer sicheren und zweckmäfsigen Methode, veraltete Lustseuchen-Uebel zu heben. 2. verbess. Aufl. Wien u. Krems 1819. 8.

Richerand, A., Grundrifs der neuen Wundarzneikunde. A. d. Franz. m. Anm. v. H. **Robbi**. 1. allg. Th. 2. Th. Traumatologie und Helkologie, durch eine kurze Darstellung der Rhinoplastik. verm. Leipz. 1819 — 1820. gr. 8. m. K.

Rust, J. Nep., Einige Bemerkungen über das Wesen der Geschwüre, in dessen Magazin Bd. XI. Hft. 3. S. 602. — Beiträge zu dessen Helkologie Bd. XIV. Hft. 2. S. 211. 1823.

Langenbeck, C. I. M., Von der Verschwärung (Ulcus), in dessen Nosologie und Therapie. Bd. II. Göttingen 1823. S. 274 — 278.

Bursy, Carl., Aetiologischer Beitrag zur Helkologie; Hufel. Journ. 1823. S. 9. u. S. 82.

Lukas u. Frank, Behandlung alter Fufsgeschwüre. **Rust's** Magaz. Bd. XVII. Hft. 1. S. 187.

Delpech, Considérations sur les maladies vénériennes. In der chirurgie clinique de Montpellier. Paris et Montpellier 1823. 4. p. 263.

Wendt, J., Die Lustseuche in allen ihren Richtungen und allen ihren Gestalten. 3. Aufl. Bresl. 1825. 8.

Boehl, H. S., Quaedam de ulceribus inveteratis pedum curandis. Berol. 1826. 8.

Krügelstein, F. G. K. Die Kunst, die Geschwüre zu heilen, nach den neuesten Erfahrungen und Berichtigungen in der Arznei- und Wundarzneik. Gotha 1828. gr. 8.

CAP. I.

ULCERIS NATURA ATQUE SECRETIO.

§. 1.

Longum per aevum de natura illius morborum generis, quod ulcus nobis dicitur, ambigui haeserunt medici; imo nostra aetate magna opinionum dissensio viget. Majoribus quidem nostris, ulcerum fontes ignorantibus, de eorum indole nihil innotuit. Quodcunque ulcus, omisso naturae singularis respectu, eodem curabant modo, etenim unguenta et emplastra multa per saecula solam fere praebuerunt medicinam, qua ulceribus mederi conarentur. Remedia alterantia, quae dicuntur, et specifica, vix nomine erant nota. Quae quum ita essent, fieri haud potuit, quin damna gravissima curationem saepius exciperent. Ex ulceribus laborantes, multorum medicorum operam magnis saepe cum doloribus frustra experti, agyrtis reique medicae plane ignaris sese commiserunt, non vitantes perniciem, sed incurrentes. His tantum explicetur ratio, qua ulcera eas deformitates hominibus inferre potuerint, quas intulisse, veteres memoriae prodiderunt. Huc accedit priscorum saeculorum superstitio, quae non raro, miseros illos, tanquam coelesti poena obrutos, ab hominum consortio removit. Recentiori demum aevo, superstitione rudique empiria ablatis, perfectiorem ulcerum notitiam debemus. Non deerant, qui huic materiae plurimum operae studiique impenderent, qui naturam et fontes investigare curandique methodum certiorem hujus infesti, non raro letiferi morborum generis, stabilire conarentur. Richter, Bell, Hebenstreit, Callisen, Platner, Weber, Home et alii hac de re optime promeruerunt. Quemadmodum vero aliae artis salutaris partes, ita et haec multis variisque hypothesibus obruebatur.

§. 2.

Si ipsam ulceris definitionem respicias, alios scriptores alias exhibuisse definitiones videbis, quarum principes duce Langenbeck [1]) recitabo.

---

1) Langenbeck, Nosologie und Therapie der chirurgischen Krankheiten, in Verbindung mit der Beschreibung der chirurgischen Operationen, oder gesammte ausführliche Chirurgie, für praktische Aerzte und Wundärzte Bd. II. pag. 286. Göttingen 1823.

Richter abscessum vulnusque suppurans eo discrepare dicit ab ulcere, quod ulcus malum pus et squalorem secernat; per squalorem intelligit extrema fibrarum et vasorum in ulceris superficie interna, quae pure corrumpantur.

Bell ulcus cerni, ait, in contextu sublato partium mollium, quo pus, sanies, aliaeve materiae corruptae profundantur, sive causa sit externa sive interna.

Callisen ulceris nomine notat sejunctionem partium organicarum paulatim exortam, qua vel materia puriformis, acris, foetida, secernatur.

Platner ulcus esse docet sejunctionem partium mollium, qua nec sanguis, nec pus, sed liquor malignus, corruptus effluat, qui partes vicinas destruat. Idem alibi hoc discrimen inter ulcus et vulnus suppurans constituit: vulnus semper ad sanationem tendit, ulceri vero inest aliquid, sanescentiae repugnans; ulcerum vasa laticem, instaurandis carnibus idoneum, non edunt.

Boyer ulcus ponit in magis minusve inveterata partium mollium sejunctione, cum purulentae materiae profluvio, quae aut vitio locali, aut causa interna sustineatur. Ulcus a vulnere suppurante eo differre asserit, quod in vulnere simplici, i. e. alio cum morbo non conjuncto, inflammatio, intumescentia, suppuratio et conglutinatio normalis oriantur, naturaque propria vi sanationem, plus minus arte adjutam, efficiat, ulceris autem sanationem natura vel prorsus respuat, vel ei impar sit.

Richerand inter vulnus et ulcus hoc praecipue discrimen intercedere putat, quod illud semper causis externis inducatur, natura sit sanabile, et nisi quid conglutinationem retardet impediatve, intra certum tempus sanari queat. Vulnus, ait, morbum esse acutum, qui plerumque resolutione feliciter terminetur, ulcus autem morbum chronicum, qui causis internis excitetur atque alatur; nexum sublatum in definiendo ulcere non morbum principem, sed modo symptoma morbi interni, aut localis aut universalis, esse habendum.

Raimanno [2]) ulcus vel directus vel indirectus inflammationis non resolutae, sed suppurationi submissae, est effectus. Non raro autem inflammatio pendet a praegressa suppuratione. Ulcus igitur est sejunctio partium organicarum paulatim orta, cum secretione puris maligni, quod vocatur, i. e. laticis acris, aliove modo corrupti, cui saniei aut ichoris nomen tribuimus. Raimann strictissime ulcus a vulnere suppurante et abscessu his verbis discernit: suppurationem inter et ulcerationem ea intercedit ratio, quae convalescentiam inter et morbum.

Langenbeck hanc ulceris definitionem proponit; ulceratio est defectus substantiae organicae, vitali actione inductus, disproportione scilicet materiarum vicissitudinis, ita quidem, ut resorptio major instauratione, materiarum plasticarum et primitivae formationis organicae conditiones adeo sint mutatae, ut ulceris secretio non plasticum humorem, sed malignum conficiat, saniem seu ichorem, ex quo substantiae organicae novae emergere nequeant.

Pater in Helcologia [3]) hanc ulceris definitionem exhibet: ulcus est sejunctio mixtioque

---

2) Raimann. Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Theraphie. Dritte vermehrte und verbesserte Auflage. Wien 1826. Bd. I. pag. 249.

3) Rust's Helcologie, oder über die Natur, Erkenntniss und Heilung der Geschwüre. 2 Bde. Wien 1811. Bd. I. pag. 4.

mutata partium organicarum, cum secretione liquorum abnormium, corruptelae materiarum organicarum atque substantiarum luxuriationi faventium, quibus ichoris, saniei, puris mali, nomen imponimus.

§. 3.

Si hactenus dicta colligimus, facile nobis persuadebimus, strictam ulceris definitionem difficillime exhiberi, quum alii alias sequantur rationes; generalia enim, quibus omnes unaniiniter suffragantur, haec fere sunt: ulcus est partium organicarum sejunctio, pedetentim exorta, cum puris maligni, sive saniei secretione.

§. 4.

Licet hujus definitionis dignitatem haud detrectaverim, facile tamen apparere arbitror, non omnibus casibus eam respondere, sed varia continere, quae subinde mutanda sint atque corrigenda. Alia enim occurrunt ulcera, quae nonnullis dictorum criteriorum destituantur, alia, quae non haec tantum, sed singularia quaedam offerant. Cuinam morborum classi medicus, inprimis tiro hanc illamve formam accenseat, quo nomine impertiat, e quibus denique principiis medendi rationem metiatur, quum neque scholae placitis, neque experientiae fidere possit, nisi veri rectique sensu ducatur? Recte quidem dicunt, ulcus cerni in sublato partium organicarum nexu, etenim citra haec ulcus existere nequit; at vero ulcus jam formatum ut persistat, non absolute opus est sejunctionis incremento. Per annos enim ulcera sine ulla primitivae sejunctionis mutatione possunt vigere; dantur quoque contextus organici sejunctiones quaedam, ulceribus minime interponendae.

§. 5.

Eadem est ratio, si ulcerum originem respicias atque secretum, saniem scilicet, sive pus malignum. Nec omnia enim ulcera paulatim, nec causis internis morbisque universalibus, praecipue dyscrasiis, semper oriuntur. Nec secretum eorum semper ichorem, seu pus malignum offert; sed vice versa abscessus et vulnera, oblatis conditionibus externis, puris loco saniem pessimam edere, vel brevi tempore in ulcera mutari possunt.

Quodsi praeterea mediteris, ulcera quaedam, licet pertinacissima, pus benignum edere, imo pessimum ichorem, adhibitis remediis alterantibus, paucas intra horas in genuinum pus posse mutari, quodcunque denique ulcus malignissimum, priusquam sanescat, vulneris suppurantis indolem concipere debere: facili negotio intelliges, inter vulnus suppurans, abscessum et ulcus stricte dictum, limitem certum constitui non posse; transitus enim unius in alterum adeo est occultus, quem evidentius discernere nequeas. Quibus permotus, Pater definitionem prius editam recantavit et in iis acquievit criteriis, quae ab ulcere abesse non possunt. Omisso igitur discrimine inter vulnus suppurans, abscessum et ulcus, seu morbos intima affinitate junctos, commune, horum morborum genus constituit ulcus (ἕλκος), id quod veteriores fecerunt. Nunc quidem ul-

cus ei dicitur: locus organismi in secretorium organon (cum continui solutione) mutatus, cujus secretum, processus vegetativi abnormitate inductum, vel pus exhibet, vel saniem.

§. 6.

Ad formandum ergo alendumque ulcus principem conditionem sistit puris vel ichoris secretio, cujus gradationes numerosae ulcerum modificationes totidem constituunt, polos quasi hujus morborum generis condunt normamque nobis commonstrant, de ulceris statu atque indole, de ejus benignitate et malignitate, simplicitate et complicatione judicandi.

§. 7.

Secreti indolem quod attinet, pus et ichorem discernimus, licet pus genuinum inter saniemque pessimam (carcinomatosam) tot reperiamus gradationes, ut neutrum humorem strictis limitibus circumfinire possimus, sed in eo acquiescere debeamus, ut utrumque in extremis esse, dicamus.

§. 8.

Bonum pus atque genuinum ulceris secretum nominatur, quod concolor est, opacum, spissitudine lactis cremori simile, albo-flavidum, blandum et dulciusculum, odore specifico praeditum, frigefactum vero odoris expers.

Quum specifico pondere superet aquam, subsidit, cum ea connubium non init, sed agitatum fingit liquorem turbidum, lacteum, quo seposito, pus iterum secedit fundumque petit.

Sincerum pus nec calore, nec frigore, nec spiritu vini, sed alcalibus tantum vegetabilibus concrescit, materiamque viscidam, pellucidam, gelatinosam exhibet. Microscopiis globuli, sanguinis vesiculis analogi, magnitudinis aequabilis, in pure sunt detecti, qui, in humorem pellucidum immissi, multa animalcula infusoria, utplurimum conquiescentia, modo gyros describentia, offerre dicuntur.

Haec quidem criteria bonum pus prae se fert; quo longius ab iis recedit, i. e. quo magis tenue est, foetidum, squalidum partesque vicinas erodit, eo minus puris notioni respondet, sed saniei, seu ichoris nomine impertiendum est.

§. 9.

Quonam processu pathologico pus et sanies conficiantur et secernantur, scriptores admodum dissentiunt, quorum quidem opiniones exponere, ab his pagellis alienum videtur. Vero simillimum autem est, sanguinem ipsum, qui inflammatis tenuissimis vasis capillaribus exsudatur, in pus mutari sanguinisque albumen et materiam fibrosam puris partes constituere principes, quod quidem abscessus ante maturitatem patefacti argumentantur, partim sanguinem purum, partim albumen et materiam fibrosam continentes.

§. 10.

Proinde pus, e dictis materiis aucto processu plastico formatum atque secretum, morbosae vasorum actionis productum sistit, ei usui dicatum, ut partes sejunctae uniantur materiaeque amissae instaurentur. Suppuratio quasi surrogatum est pathologicum processus nutritii, sanationem igitur exhibet, non materiarum excrementitiarum eliminationem, quod nonnulli quidem opinantur. Albumine enim et materia fibrosa per vasa morbosa secretis, processu quodam occulto crystallisatio animalis nascitur, qua efficitur sanatio.

§. 11.

Hisce elucere puto, suppurationem ad sananda ulcera maxime esse necessariam atque pus optimum balsamum vulnerarium solumque praesidium suppeditare carnificum.

Quae fictitia non esse, partim processuum pathologicorum similium ratio, ut calli in ossium fracturis, lymphae plasticae in vulneribus et rupturis exsudatio, partim experientia docet; vulnera enim ulceraque altissima, emergente suppuratione benigna, brevi tempore sanescunt; in hominibus validis et succulentis, quibus, illato vulnere aut ulcere, suppuratio supervenit, granulatio quam celerrime inducta terminos legitimos mox excedit carnemque luxuriantem, quae dicitur, fingit; hominibus autem debilioribus, cachecticis, laxo corporis habitu conspicuis, quibus parcum et pravum pus secernitur, valetudo tardissime redditur, nisi medicus, adhibitis roborantibus et corrigentibus remediis, uberiorem puris melioris secretionem moliatur.

§. 12.

Naturam restituendis substantiis amissis pus dicasse, eo quoque probatur, quod sanies, vel pessima, non omni reproducendi virtute destituitur. Quem ad modum enim genuinum pus carnem sanam, ita ichor varias excrescentias fungosas, carcinomatosas, conformat, quae brevi nonnunquam tempore enormem assequuntur magnitudinem.

§. 13.

Puris indoles et copia variis causis debet originem, quarum praecipuae sunt:

1) conditiones aegrotorum externae; aëre insalubri, nosocomiali, vinctura incongrua, aut laxiori aut strictiori, curatione perversa, tam universa quam locali, ulcera simplicissima converti in maligna, e contrario autem ulcera pessimae indolis apta ligatura, aëre salubri, ad sanationem adigi, videmus.

2) Vitia localia, quae ulcus sustinent ejusque sanationi obsistunt, ut corpora aliena, ossa cariosa, rel.

3) Corporis constitutio, morbi universales, cachexiae, rel.

CAP. II.

ULCERUM VARIETATES.

§. 14.

Systematica ulcerum divisio quoad diagnosin et medelam summi est momenti, qua enim si destituimur, tot ac tam diversae hujus morborum generis formae tenebris nos obruant necesse est, siquidem cujusque ulceris forma singularum ejus indolem involvit et, si in proprietates ejus inquirimus, facile nos edocet, an morbus sit substantivus, mere localis, utrum alia affectio, vel topica vel universa ejus fontem constituat. Ridicula autem venabimur, si, quod plures recentiorum fecerunt, divisionem a levissimo quoque momento petendam existimemus, tot enim ulcerum species et varietates obtinebimus, ut, quae coordinare velimus, maxime confundamus novoque indigeamus vocabulario, quo suum cuique ulceri nomen tribuatur. Hic igitur de ea tantum divisione agitur, quae rei naturae et rationis desideriis respondeat.

§. 15.

In constituendis ulcerum divisionibus medici magis minusve gravia et necessaria momenta respexerunt.

Alii dividendi principium a variis desumserunt membris, in quibus ulcera occurrant; alii organa diversa intuentes ulcera cutanea, cellulosa, cariosa, glandulosa, etc. distinxerunt; alii formam, structuram, moram et secretorum indolem respecientes, ulcera proponunt recentia, inveterata, callosa, fungosa, gangraenosa, fistulosa, aperta, longa, rotunda, multangula, sicca, humida, suppurantia, ichorosa, etc.

§. 16.

Quodsi divisiones enumeratas ad definiendam ulceris speciem admittendas, imo interdum necessarias esse, largiamur, tamen dignitatem earum non tanti faciendam judicabimus, ut ulcerum natura, i. e. complicatio cum morbis aut localibus aut universis, quorum sequelas vel symptomata exhibent, iis determinetur. Pauci sane morbi existunt, et universi et topici, qui stipari, aut complicari non possint ulceribus, forma singulari indutis.

Maximi ergo est momenti, ut in distribuendis ulceribus ratio habeatur aetiologiae. Pater hanc divisionem plurimi faciendam censet [4]):

I. ULCERA CAUSIS EXTERNIS AUT LOCALIBUS EXORTA.

1) Simplicia (benigna). Hoc nomine ea notantur, quae formam certam referentia, neque cum locali nec universali morbo conjuncta sunt. A vulnere simplici suppurante et abscessu

---

4) Rust's Magazin der gesammten Heilkunde. Bd. XIV. pag. 214.

non differunt saepiusque sine artis adminiculis solo naturae benificio sanescunt; hanc indolem quodcunque ulcus recipiat, necesse est, ut perfecta contingat sanatio.

2) Ulcera complicata (maligna). Haec non tantum externa specie discrepant a simplicibus, verum etiam cum morbo quodam vel locali vel universo nexum causalem, magis minusve gravem, alunt. Quae quum naturae viribus non sanescant et generatim curationem difficilius recipiant, contraria quasi simplicibus, benignis, complicata et maligna nominantur, quorum hae varietates occurrunt:

a) Ulcera cum vitiis localibus.

Vitia ista aut in destructione partium ulcus ambientium, vel mollium vel durarum, aut in cacochymia humorum, processu quodam morboso, aut chemico aut vitali, inducta, quae ulceribus et formam et naturam pejorem impertiunt, cernuntur.

Quot et qualescunque sint illae mutationes, in formas quasdam fundamentales redigi possunt, quocirca haec potissimum ulcera discernimus: callosa, oedematosa, varicosa, fistulosa, fungosa, ichorosa, putrida, gangraenosa.

b) Ulcera cum vitiis universalibus formae et mixtionis.

Triplex ulcera inter et haecce vitia intercedere potest ratio:

1) Morbus universus ulceris effectum sistit, ita ut partis totius functio aut evertatur ulcere, aut diuturna humorum jactura organismus exhauriatur, aut laticis alieni inimicique absorptione inficiatur.

2) Passio universa exhibet coeffectum, eadem causa nocifera, qua ulcus, inductum.

3) Affectio communis nexum causalem cum ulcere non alit, tantam vero sympathiam aut antagonismum cum eo celebrat, ut ingravescente topico malo, in melius vertatur universum, aut vice versa.

II. ULCERA E CAUSA UNIVERSALI INTERNA.

Haec ulcera effectus aut symptomata morbi primarii universi, vel praegressi vel adhuc vigentis, constituunt, indolemque specificam prae se gerentia, ab aliis quam longissime distant.

Paucos existere morbos, supra annotavi, qui ulcera symptomatica proferre, aut in ea demum transire nequeant; praecipuos vero dixerim hos: Scorbutum, Arthritidem, Scrophulosin, Luem veneram, Exanthemata acuta et chronica, viscerum abdominalium morbos, scirrhosam diathesin. Sunt igitur ulcera scorbutica, arthritica, scrophulosa, venerea, impetiginosa, exanthematica, physconica, scirrhosa, carcinomatosa, rel.

Alia quaedam divisio, medicam praxin factitantibus gravissima, petenda est a cujusque ulceris vita singulari, vel aucta, vel imminuta, quippe quae ulcera hypersthenica, erethica, asthenica atque torpida distingui jubeat.

CAP. III.

ULCERUM DIAGNOSIS ET AETIOLOGIA IN GENERE.

§. 17.

Quum unumquodque ulcus, uti annotavimus, singulari forma suam manifestet indolem, indeque ejus causae ex parte saltem possint dignosci, parum proficient ii, qui singulas ulcerum species descripturi, nullam aetiologiae rationem habeant.

§. 18.

Quidquid fibrae organicae tonum relaxare, cohaesionem suspendere et processus vegetativi abnormitatem cum secretione liquoris, a sano organismo alieni, efficere valet, ulceribus ansam praebet. Proinde causae ulcerum, ut reliquorum morborum, in disponentes (internas) et occasionales (externas) dispescuntur.

§. 19.

Causis internis, seu disponentibus, qualescunque interponuntur mixtionis alienationes, vel totius corporis, vel singularium partium, quibus aut ipsis, aut interveniente causa occasionali, nexu organico partes privantur eumque in modum mutantur, ut in secretorum solitorum locum substituatur pus, aut sanies.

Quicunque morbi alienata functione assimilationis instrumentorum, glandularum, cutis, organorum secretoriorum et excretoriorum nituntur, vitia viscerum abdominalium, exanthemata repercussa, cachexiae, rel. huc pertinent.

§. 20.

Inter causas occasionales, sive externas, referuntur injuriae organismo foris illatae cohaerentiam aut chemicis aut mechanicis viribus solventes, ut laesiones, materiis virulentis nuptae, vulnerum perversa curatio, frigoris aut ignis major violentia, applicatio acidorum partes organicas decomponentium atque destruentium.

§. 21.

Priusquam autem ad describenda ulcera singularia nos accingamus, partes quodcunque ulcus constituentes intueamur, necesse est.

Quo facilius et rectius dignoscatur ulcus, haecce quatuor potissimum respicienda sunt.

§. 22.

Margo, ulceris fundum circumcludens ejusque terminos visibiles constituens, formam sistit geometricam. Varius invenitur:

Cir-

Circularis, ovalis, angularis, dentatus, laevis, rarefactus, reflexus, callosus, praecisus, ulceris fundo vel adnatus vel discretus (sinuosus), vario colore indutus, admodum vel sensibilis, vel torpidus.

§. 23.

Fundus, ulceris superficiem aut visibilem, aut invisibilem exhibens, non minoribus varietatibus obnoxius est: vel ad marginem porrigitur, vel subter integumenta cutanea protensus, canales (fistulas) fingit. Quod structuram attinet, aut laevis est, aut papillis carneis obsitus; vel alta petit, vel super marginem eminet; variae interdum excrescentiae fungosae ex eo propullulaut; color pallidus, rubicundus, violaceus, punctulis sanguineis distinctus reperitur; sensibilitas vel tanta, ut ne levissimus quidem tactus feratur facileque sanguis profundatur, vel propemodum exstincta est.

§. 24.

Secretum et quantitate et indole plurimum discrepat; quod pendet ab ulceris natura: etenim vel parcissimum est, vel uberrimum, modo genuinum pus, modo humor tenuis, sanguine remixtus, fuscus, foetidus, finitima erodens.

§. 25.

Partes ambientes, magis minusve a norma recedunt earumque mutationes ipsae ulceris indoli consentaneae apparent. Communes sunt: ossium tumores, telae cellulosae degenerationes, partis affectae totius intumescentia; cutis colore vario notatur: roseo, rubicundo, cupreo, fusco, squalido, escharis et squamis obsidetur; rubor nunc diffusus, nunc circumscriptus observatur, haud raro varices exstant. Haecce quatuor in dignoscendis ulceribus nunquam negligenda sunt.

Praeterea ulceris propria vita et corporis valetudo considerandae veniunt; interest enim, an vitium locale, utrum aliis morbis conjunctum sit.

CAP. IV.

ULCERUM DIAGNOSIS ET AETIOLOGIA IN SPECIE.

§. 26.

Ulcerum varietatibus generatim expositis, reliquum est, ut formae eorum principes ordine supra dicto describantur.

ULCUS SIMPLEX.

Si formam respicias, non distat a vulnere suppurante et abscessu; margo et fundus aequabili gaudent vita, inflammationis gradus neque debito major, nec minor, nec ullum vitium organicum apparet, pus ad normam respondet, e fundo papillae carneae rubellae emergunt, quae paulatim succrescentes, quasque adimplent foveas; sanescente ulcere, margines committuntur et cicatrix ab iis orditur; partes conterminae nihil offerunt vitiosi.

§. 27.

Proxima ulcerum simplicium causa in vitio cernitur locali, cohaerentiae nimirum solutione et substantiae defectu, vel internis rebus vel externis, aut mechanica aut chemica vi, aut processu vitali destructivo inductis. Ut obtineatur ulceris complicati sanatio, in simplex redigatur oportet.

§. 28.

ULCUS COMPLICATUM.

Variis modis differt a simplici: forma enim a fabricae aut mixtionis vitiis, vel topicis vel universalibus, quae nunquam non subsunt, pendere solet; margines circulares, oblongi, angulares, callosi, laceri, laeves, praecisi, fundus modo aequalis, vel subsidens, aut eminens, modo inaequalis, variis excrescentiis obsessus, aut margini adnatus, aut discretus, subter integumenta cutanea diffusus; secretum nunc parcum, nunc debito uberius, tenue, squalidum, cruentum, magis minusve foetidum, vicina loca erodit; partes ambientes plus minus vitiatae, prout ulceris fert natura, inveniuntur; cutis decolor, escharis vel squamis obsita, tela cellulosa degenerata, vasa sanguifera et lymphatica laxa, amplificata; non raro ossa morbosa. Simili ratione ulcerum vita singularis variat, quippe quae vel normam excedat, vel torporem promat.

§. 29.

Raro, vel nunquam, ut supra annotavi, haec ulcera localia sunt, sed structurae vel mixtionis vitio, aut topico aut communi, nupta. Quodsi morbus universus proximam ulceris causam sistit, totum aegrotat corpus ipsumque ulcus nihil, nisi morbi primarii, vel praegressi, vel adhuc vigentis symptoma aut sequela est. Altera autem parte affectio universalis excipere potest ulcus diuturnum, quo partis alicujus functio ex toto cohibetur, aut universum corpus continuo humorum damno pessumdatur.

Quamquam haec ulcera multifariam modificata apparent, universim tamen ab incitationis aut fabricae vitio repeti possunt. Ulcera causis peculiaribus orta, i. e. ulcera specifica, fabricae vitio locali specifico nituntur, quamobrem seorsim considerentur necesse est. Primum igitur describenda sunt ulcera cum incitationis abnormitate: ulcus hypersthenicum et asthenicum; deinde cum fabricae vitiis juncta, ulcus callosum, oedematosum, varicosum, fungosum, gangraenosum, fistulosum.

§. 30.

ULCUS HYPERSTHENICUM.

Hoc ulceris genus enormi sensibilitate insignitur; margo irregularis est, crenatus, fundus purpureus, levissime tactus sanguinem reddit, secretum parcissimum tenue magis et sanguineum, quam purulentum; vicina intense inflammata, dura, tumida, rubicunda, interdum fuscum colorem aemulantia; tota pars affecta maxime dolet; ceteroquin febris inflammatoria magis minusve vehemens diagnosin firmat.

§. 31.

Quodlibet ulcus per longius breviusve tempus hancce inflammatoriam indolem, variis causis excitatam, prae se gerere potest. Quandoque diathesis inflammatoria aut communis aut topica viget, quae cum unoquoque ulcere communicatur; aut injuriae locales irritamentum in ulcus exserunt, ut corpora aliena, assulae, quae detegi et auferri nequeunt; curatio demum ad augendam vel minuendam incitationem conferre solet, ut aegrotorum regimen perversum et irrequietum, alimenta graviora et calefacientia, vinctura strictior aut laxior, crebrius mutata, abstersio puris nimis sollicita, linamentum vulneribus infarctum, balsamorum et emplastrorum irritantium administratio.

§. 32.

ULCUS ASTHENICUM.

Vis vitalis admodum prostrata, margo ulceris partesque ambientes pallidae, collapsae, vel oedematosae et tumidae, fundus villosus, lividus, magis minusve sensibilis, secretum tenue, aquosum, ichorosum, praeterea debilitas universa, continuo humorum detrimento inducta, quae in febrem hecticam non raro abit.

Licet omnia ulcera hunc statum subire possint, multis tamen hoc adeo commune est, ut quasi ad eorum naturam pertinere videatur. Causa cernitur in vis vitalis, aut universae aut particularis prostratione, quae vulnerum, abscessuum, ulcerumve curatione antiphlogistica minus cauta, victu tenui, medicaminum relaxantium usu, facile efficitur.

§. 33.

ULCUS CALLOSUM.

Margine insignitur crasso, prominente, utplurimum laevi, nonnunquam clivoso, pallido, sicco, insensibili, cartilagineo. Plerumque margo tantum, quandoque fundus etiam callescit insulasque irregulares, passim exstantes, in superficiem porrectas, exhibet. Fundus lividus tenuem et aquosam edit saniem; raro, nec nisi certis temporibus vitaeque periodis, ulcus dolet; utplurimum torpet.

§. 34.

Quidquid humorum circuitum impedit, vel eorum accumulationes in parte aliqua efficit, hoc ulcerum genus proferre valet, quo fit, ut seniores et arthritici frequentissime ei submittantur,

universa, quae ab ulceribus gangraenosis nunquam abest et in hac quidem specie summam atrocitatem atque devastationem offert, vitae discrimen extra dubitationis aleam ponit; febris enim violenta, pulsus parvus, irregularis, sudores frigidi, deliria, infirmitas extrema omniumque virium labes, hostem vix non inexpugnabilem vitae imminere ejusque scaturiginem exhaurire, docent.

§. 40.

ULCUS FISTULOSUM SIVE CAVUM.

Et hoc forma habituque ab aliis ulceribus discrepat, canaliculis nimirum continuis, e quibus, adhibita praesertim pressione, multum ichoris, interdum liquore carioso, stercoribus, lotio, saliva, bile rel. intermixti, scaturit, quique specillum saepe altissime recipiunt. Canaliculorum figura, situs atque decursus maxime differunt; proinde fistulae distinguuntur longae, breves, rectae, flexuosae, simplices, ramosae, angustae, amplae, callosae, membranaceae, completae, incompletae. Utplurimum inter telam cellulosam, cutem et musculos, non raro inter musculos ipsos decurrunt eorumque fundus ad ossa, articulos, aliasve corporis cavitates descendere potest. Fistula si unum exhibet ostium, incompleta, sin duo, completa nuncupatur.

Quodsi humoris secreti moles ulceris ambitum superare videtur, si, mutato partis aegrotantis situ adhibitaque pressione, iterum iterumque profluvium apparet, si aeger sensationem quandam inimicam, tendorem, vel dolorem, visibiles ulceris terminos excedentem, conqueritur, qui digito imposito augescit, si qua durities ibidem sentitur, vel, humore nondum profuso, tumor continuus, fluctuans, animadvertitur: non modo de fistularum praesentia persuasum habebis, verum etiam situm decursumque earum ex parte dignosces.

§. 41.

Quidcunque liberiorem puris vel ichoris ex ulcere profusionem arcet, ansam praebere solet fistulis, id quod tanto facilius accidit, quanto laxiores sunt partes finitimae, quanto magis ulceris sedes focusque suppurationis altior, aut vinctura incongrua, oppositis profluvio impedimentis, efficiunt, ut humor partim suo pondere, partim pressione, partim indole specifica corrosiva, petat profundiora viasque sibi excavet.

Hinc abscessus atque ulcera mandibulae omniumque partium, quarum situs humorum profluvio obsistit, facile fistularum formam concipiunt.

Abscessus altiores, inprimis tendinosis partibus, ut fasciae latae, subjecti, semper fere fistulas agunt per conterminas partes, priusquam humor secretus, perruptis integumentis solidioribus, foras effunditur. In causis praecipue sunt: abscessuum incisio serotina, vel in loco instituta, qui puris effusioni parum favet, ligatura nimis stricta, vel male locata, intempestiva administratio emplastrorum, penicillorum, turundorum et similium; neque minus abscessuum conglutinatio, priusquam fundus ad sanationem esset opportunus.

§. 42.

Quae hactenus proposuimus, plus minus in omnia ulcera carnosa, quae vocantur, cadunt:

quodlibet enim ulcus, oblatis conditionibus, modo simplicis, modo complicati formam adsciscere, nunc hypersthenicam, nunc asthenicam, callosam, oedematosam, varicosam, fungosam, gangraenosam, fistulosam indolem recipere potest. Haec igitur formae et naturae criteria omnibus ulceribus communia sunt. Dantur vero ulcera quaedam specifica, non mutabilia, quorum proprietates quibuscunque hominibus eaedem apparent semperque internosci possunt. Istae proprietates vel ab ulcerum sede, vel causa specifica pendent, quocirca varietates eorum, quae sequuntur, distinguendae videntur.

§. 43.

ULCUS TELAE CELLULOSAE.

Minus apte ulcus cutaneum [5]), passim ulcus erysipelatodes dictum, quamdiu cuticula plus minus corrupta tegitur, singularem ulcerum fistulosorum varietatem sistit. Manifestari solet loco cutis inflammato circumscripto, varium referente colorem, aut rosaceum, aut violaceum, aut fuscum, uno pluribusve rotundis ostiolis instructo, quae, adhibita pressione, multum laticis puriformis, plus minus degenerati, utplurimum ichorosi, rubelli, edunt specillumque subter cutem, a tela cellulosa plane diductam, demissum, non modo alte recipiunt, sed etiam per totum circuitum, non per certam directionem, quod ulceribus fistulosis proprium est, dimoveri patiuntur.

Quodsi ostium arte dilatatur, aut cutis decolor, procedente destructione, naturae conamine repellitur, tela cellulosa per totum ulceris circuitum, longe lateque interdum patentem, omnino degenerata, a cute musculisque subjectis ex toto diducta, adipis glomerulorum instar apparet, qui tenui atque ichoroso puri intermixti, partim soluti sunt, partim substantias membranaceas, nodosas constituunt, quas, quum leviter tantum vivis partibus adhaereant, vulsella facile auferre licet.

§. 44.

Proxima horum ulcerum causa in telae cellulosae suppuratione atque nece collocanda est. Quidquid ergo inflammationem cutis chronicam movere, indurationem, degenerationem et suppurationem telae cellulosae conflare potest, inter causas occasionales ulceris cellulosi est referendum. Quamobrem ulcera haec pressionem diuturnam, plagam, contusionem, perniones, excipiunt, nonnunquam metastaticas depositiones, aut miasmata corpori illata, longam telae cellulosae plagam enecantia, sequuntur; prae ceteris homines systematis lymphatici infirmitate conspicui, aut diathesi scrophulosa praediti, iis obnoxii esse consuerunt.

§. 45.

ULCUS OSSIUM.

Hocce ulcus, cui quoque nomen caries, necrosis, ulcus cariosum, partim tenacitate, qua medentis conaminibus reluctatur, partim specifica ichoris secreti, nec non solidorum su-

---

5) Boyer, Abhandl. über die chirurg. Krankheiten etc. B. II. S. 333.

pra circaque dispositorum indole, primo obtuitu dignoscitur. Ossis cariem suspicari oportet, si ulcus mollium partium, cum ea junctum, communibus medendi methodis repugnat, vel aegre sanatum, paulo post sine manifesta causa recrudescit; si fundus pallidus, laxus, fungosus, partes ambientes flavo-fuscae apparent et splendidi aliquid exhibent; si caruncula, ex ulceris fundo propullulans, saepius exstirpata, iterum iterumque succrescit; si ulcus finitimum est ossi, praesertim ossibus metacarpi et metatarsi, ossibus ilium, ossi sacro, vertebris, scapulae, sterno, processui mastoideo ossis temporum, capitulis ossium longorum; si aeger dolorem conqueritur plus minus acerbum, eumque penitiórem, quam ulceris fundus descendere videtur, vel os circa ulceris terminos sufflatum, variisve deformitatibus conspicuum invenitur; si tumor et fluctuatio, inflammatione et suppuratione integumentorum communium excepta, ergo abscessus congestivus, quem dicunt, ulceri antecessit, si istiusmodi abscessus mox ab incisione fistulas agit, fistularum ostia perinde ac vicinae partes fusco colore inficiuntur et pus effusum, initio inodorum atque bonum, quod videtur, in dies fere, ingravescente labe universali, naturam pejorem, ichorosam, foetidam concipit, adeoque copiosum editur, ut quantitas ejus cum visibili ulceris ambitu summam alat disproportionem; denique si liquor secretus, sive ex aperto seu fistuloso ulcere profluat, colorem nigricantem refert odoremque inimicissimum, specificum, fere rancidum, spirat, granulis nigris, arenosis, vel osseis particulis variae figurae est remixtus, utplurimum lintea et instrumenta argentea colore atro inficit.

Quodsi, obviis dictorum symptomatum pluribus, ossis facies aspera, inaequalis immisso digito detegitur, vel specillum per canalem fistulosum, aut, si apertum est ulcus, per carnis fungosae strata ad os descendit ejusque indolem porosam, asperam, salebrosam nuntiat, imo substantiam ejus intrat, ulceris cariosi diagnosis ad liquidum est perducta.

§. 46.

Demtis ab osse morboso partibus adjacentibus, multae in conspectum prodeunt varietates, ad cariei formam naturamque pertinentes, quarum potissimae sunt:

1) Os, tumescentiae expers, colore destituitur normali, mirifice albescit, aret, laevitatem et soliditatem vel legitimam prodit, vel friabile summaque fragilitate conspicuum est; quae caries **sicca** vulgo appellatur.

2) Ossis superficies tumet, primum flaveola, tum fusca, nigra, aspera, salebrosa, majori corruptelae gradu quasi exesa redditur; e poris et interstitiis superficiei exesae sanies fusca, aut nigricans, pinguiuscula, foetoris specifici, inimicissimi, scaturit; quod genus caries **humida** salutatur; caries **fungosa** autem si os cribri ad instar foraminulentum, carne fungosa expletum, vel ejus superficies excrescentiis fungosis obsita apparet.

3) Ossis superficies, vel tota paulatim substantia, mollescit, plus minus ad partium mollium similitudinem accedit, indolem carnosam aut lardaceam recipit pressionique cedit; hancce cariem vocant **carnosam**.

4) Doloribus fixis, penitioribus diu praegressis, vel totum os, vel pars tumet, locus aliquis ulceratur saniemque cariosam, rubellam, pinguiusculam, postea saturiorem, fuscam, nigricantem, foetidissimam reddit. Quae si exstant, ulcus in cavitate ossis medullari sedem habet, destructio inde

inde a centro substantiae orsa, foras tendit. Hoc vitium si ossa longa seu tubulosa adgreditur, spina ventosa, sin capitula eorum, arthrocace dicitur; vulgo malignam hancce cariem nuncupant.

5) Sphacelus ossium seu necrosis vulgo, sed perperam, ulceribus cariosis accensetur. Utplurimum necrosis cariem, inprimis siccam subsequitur; non raro autem immediatum eorum morborum, aut injuriarum effectum sistit, quibus ossium nutritio suspenditur, aut arescentia et nex alicujus ossis particulae inducuntur. Os enim necroticum, seu sphacelo submissum, omni destituitur vita, nec unquam recuperat integritatem, quam recipit caries, sed a vivis partibus excussum, nova tantum ossificatione potest instaurari. Hicce eliminationis et instaurationis processus morbi ambitu indoleque ossis aegrotantis magis minusve solida, aut spongiosa, admodum discrepat, plus minus sub sensus cadit, modo squamas aut lamellas, modo granula aut grandiorem massam offert. Notatu dignum est, si ultimum eveniat, adjacentes ossis particulas saepe tam alacrem reproductionis processum fovere, ut ossificatio tam infra quam circa necroticum os appareat, increscat et solidescat, priusquam hoc sit excussum, quod inde regeneratis partibus haud raro includitur et tanquam vagina circumdatur.

Reliquae ossium degenerationes, quae a supra dictis differunt, singulares morborum formas constituunt multoque minus, quam necrosis, ossium ulceribus interponendae sunt, quamquam cariei interdum ansam praebeant, vel cum ea conjungantur.

§. 47.

Causam cariei proximam plures nostratum, inprimis Bell, in sublato ossis vasorumque nutritiorum nexu collocarunt, quo ossis enecatio efficiatur. Hoc eo magis sibi persuaserunt, quod multa experientiae testimonia, ossis superficiem, ablato periosteo subductoque humore nutritio, plerumque cariem subire emorique, doceant. Hoc perpetuum non est; necrosis citra cariem potest oriri; caries ut sanetur, in necrosin, i. e. enecationem ossis affecti, abeat et hoc excutiatur, nesesse non est. Eliminationem substantiae ossis degeneratae ad sanandum ulcus cariosum non magis esse necessariam, quam in curandis ulceribus carnosis partium mollium morbosarum segregationem, sed medelam, instaurata partium elementarium legitima mixtione, saepius perfici, communis experientia testatur.

§. 48.

Quamquam igitur, ignari mutationum organicarum, in partibus aegrotantibus evenientium, in Lentini verba jurare nequeamus, cariem nihil aliud esse dicentis, nisi acidi phosphorici a calcaria discessum, glutinis putredine effectum, tamen analogia et experientia nobis persuadent, cariei proximam causam in singulari formae et mixtionis vitio cerni, quod, licet acidi phosphorici secessioni multum ponderis tribuamus, haud minus variare possit, quam mixtionis alienationes, quae partium mollium ulcera causantur.

Quidquid ergo legitimam substantiae osseae mixtionem aut texturam suspendere, vel mutare solet, ulceri carioso ansam praebet; causae in universales et locales dispescuntur.

Universalibus interponuntur: lues venerea, morbus scrophulosus, scorbuticus, arthritis, rhachitis, onania, variolae malignae, metastases, omnes morbi universi atque injuriae, quae peculiari modo ossium fabricam offendunt, specificasque ejus mutationes inducunt.

Causae locales existimantur, quaecunque vel mechanico insultu ossium structuram adgrediuntur, vel immediata efficacia partium elementarium mixtionem alienant, ut plaga, ictus, contusio, ingens ossis percussio, propinqua ossibus aneurysmata, tumores cystici, hygromata, abscessus, vulnera et fracturae ossium, ablatum periosteum, aëris frigidi ad os nudatum accessus, ichoris acris, maligni, ulceribus secreti efficacia, remedia caustica temere adhibita, tincturae spirituosae, periostei vel membranae medullaris inflammatio, suppuratio, rel.

§. 19.

ULCUS SCORBUTICUM.

Symptoma constituit scorbuti universi, aut majorem aut minorem referentis gradum. Vigente diathesi scorbutica, levissimum quodque vulnusculum, v. c. pustula cutis dirupta, interveniente diffusa laetaque superficiei rubedine, cui non raro vasorum lymphaticorum atque glandularum finitimarum dolorifica intumescentia adjungitur, celerrime in ulcus mutatur. Quandoque haec ulcera, praegresso cutis tumore coeruleo, molli, dolente, citra causam manifestam oriuntur. Ulcus scorbuticum figurae est irregularis, latum, planum, squalidum, fungosum, sarcomatosum, aut coeruleum aut fuscum; margines laxi sunt, haud callosi, attamen sufflati, velut praecisi, aut reflexi, nonnunquam oedematosi, praeterea vel coerulei aut lividi. Ulcus, ad gangraenam opportunissimum, tactu blandissimo sanguinem edit nigricantem, coagulabilitatis magis minusve expertem; ichor, sanguine soluto plerumque remixtus, foetorem spirans infestissimum, tenuis est, in ulceris autem superficie haud raro in crustam tenaciter adhaerentem concrescit. Invalescente morbo, tam in ulceris fundo quam circa margines excrescentiae fungosae, elixo jecinori similes, exoriuntur, quae celeriter emergentes, multum sanguinis fundunt et resectae brevissimo tempore renascuntur. Partium proximarum oedematosa indoles, color purpureus aut coeruleus, superficies punctulis albicantibus obsita, decompositionis latius serpentis criteria offerunt; rarius ossa directe submittuntur ulcerationi. Longe frequentissime haecce ulcera extremitates inferiores, inprimis tibiam, nec non gingivas et reliquas oris partes, articulos et genitalia obsident,

Sanescentiae horum ulcerum illud proprium est, quod conglutinatio non a margine versus centrum, sed ab hoc versus marginem procedit. Plerumque in ulceris fundo nonnullae carunculae albentes, insularum ad instar, apparent, quae paulatim dimanantes cicatricem inducunt.

Praeterea haec phaenomena morbi universi, qui subest ulceribus, naturam gradumque extra omnem dubitationis aleam ponunt: dolores initio vagi, saepe ad ossium interiora descendentes, inprimis matutino tempore urgentes, postea in genu subsistunt, neque raro tumorem ejus et rigiditatem efficiunt; maculae cutis purpureae, violaceae, coeruleae, cruentae, haud dolentes, praecipue artuum inferiorum, ineunte morbo pulicum morsibus similes, ingravescente autem colorem saturiorem, quandoque atrum, induentes ambitumque majorem, imo palmae amplitudinem obtinentes; vultus tristis, languidus, facies decolor, pallida, dentes scabri, labefacti, gingivae molles, spon-

giosae, rubello-coerulescentes, sanguinem facile reddentes, animae foetor, os muco squalidum, anorexia, inprimis carnium fastidium, summa acidorum et recentium vegetabilium cupiditas, mira pusillanimitas, totius corporis languor, respiratio brevis ac difficilis, fatigatio, imo lipothymia levissimo ex labore, sanguinis profluvia crebra per vias corporis naturales atque praeternaturales.

§. 50.

Scorbutus, si symptomata metiaris, partim dynamicum partim chemicum morbum exhibet, conspicuum labefacta irritabilitate et singulari humorum pravitate, speciatim sanguinis, quippe qui, coagulabilitate magis minusve destitutus, indolem obtineat putridam, vasis extremis profundatur, haemorrhagias largas, quandoque inexpugnabiles, sugillationes, tumores, tandem foeda illa ulcera concitet, quae scorbutica nobis dicuntur.

Proinde proxima hujus morbi causa in materiali mixtionis vitio, vasis potissimum insito, ponenda videtur, cui morbus dynamicus superstruitur. Alii quoque medici iique priorum plures, ut Macbride [6]), Cullen [7]), Bang [8]), scorbuti causam proximam in humorum alienatione cerni, existimant. Boerhaave omnesque ejus sectatores acrimoniam muriaticam, alii alkalinam, Ludovicus Hoffmann [9]) corruptum ossium succum, Trotter [10]) aliique defectum oxygenii, Jakson [11]) phlogisti abundantiam, pro scorbuti proxima causa habuerunt. Lind [12]), Milmann [13]), Heuvell [14]), Haase [15]), et recentiorum fere omnes, proximam scorbuti causam pendere censent a partium solidarum vitio primitus dynamico, quo humorum corruptela, hoc in morbo maxima, efficiatur.

Multum omnino disceptarunt auctores, an scorbutus similesque morbi primitus pendeant ab humoribus, nec ne? Omissis illis controversiis, id modo memorandum duximus, scriptores, falsis seductos principiis, plerumque solida fluidaque corporis velut disjuncta considerasse, parumque reputasse, neque haec neque illa sola praestandis organicis actionibus esse paria, quum par-

---

6) Einleitung in die theoretische und practische Arzneikunde. A. d. Engl. Leipz. 1773. Bd. II. pag. 993.

7) Anfangsgründe der practischen Arzneikunde. A. d. Engl. Leipz. 1800. B. IV. pag. 474.

8) Medicinische Praxis, übersetzt von Heinze. Copenhag. 1796. pag. 725.

9) Vom Schaarbock, von der Lustseuche u. s. w. Münster 1782.

10) Neue Bemerkungen über den Scorbut; aus dem Englischen von Michaelis. Leipzig 1787.

11) Dermatopathologie. London 1792.

12) Treatise on the scurvy. London 1754., in's Deutsche übersetzt von Metzold. Riga u. Leipzig 1775.

13) Untersuchungen über den Ursprung der Symptome des Scorbuts und der Faulfieber; aus dem Englischen von Lindemann. Berlin 1795.

14) Tentamen nosologicum. Lugd. Bat. 1787. p. 325.

15) Ueber die Erkenntniß und Kur der chronischen Krankheiten. Wien und Leipzig 1820. Bd. III., Abth. II. pag. 5. u. 12.

tes tantum constitutivas et corporis universi et singulorum organorum exhibeant. Fibra rigida per se spectata non magis organica potest existimari, quam liquidae partes: nullum enim in corpore organon exstat, quod, fluidis, vel alia quacunque parte, organicam mixtionem constituente, privatum, actionibus organicis provideat. In morbis, quorum indoles in mixtionis organicae alienatione cernitur, modo solida modo liquida magis vitiata apparent; in scorbuto quidem humores, singulatim sanguinem, ad decompositionem vergere, communis omnium experientia docet.

Minime vero contenderim, solam humorum dyscrasiam omnium symptomatum esse fontem, quae in scorbutico morbo animadvertuntur. Omnia potius phaenomena, a morbi primordio ad finem obvia, vim vitalem systematis irritabilis et reproductivi maxime labefactam notant, imo cachexia, quae non multo post subit, evidentissime comprobat, solidas corporis partes morbosis mutationibus esse obnoxias, quae, invalescente morbo, haud raro ossa petant eorumque soliditatem adeo evertant, ut in substantiam mollem, spongiosam, solvantur.

Largiendum quoque videtur, debilitate illa universali, partiumque solidarum diminuta actione, sanguinis corruptelam magis magisque augeri, etenim universi sanguinis decompositionem tum demum subnasci videmus, cum infracto humorum circuitu stagnationes et extravasationes, in vasis extremis quam maxime perspicuae, aboriantur, quoniam tum demum sanguis, quacunque vitali actione privatus, chemismi imperio submittitur.

Nihilosecius probabile videtur, in scorbutico morbo liquidas corporis partes primitus affectus, partimque materiis externis, in humorum circulum receptis, mixtionem legitimam directe suspensam, partim vitioso assimilationis processu eam sanguinis indolem esse inductam, qua ad servandam partium solidarum integritatem inhabilis reddatur indeque universa debilitas et adynamia, quae, prout incrementa capiat, mutua solidorum et fluidorum actione humorum dyscrasiam magis magisque adauget, indirecte proferatur.

§. 51.

Quum sanguinis mutationes, quas offert scorbutus, sive directa rerum externarum actione, sive vitiosa assimilatione ortae sint, parum innotuerint, tantum absum, ut acrimoniam specificam, quae hypothesin sapiat, illi corruptelae subesse existimem, ut scorbuti indolem praecipue in vitiosa sanguinis mixtione ponam, quae nimia ejus solubilitate se manifestet, eaque medicamenta, quae repugnant decompositioni, plus oxygenii advehunt organismo sanguinisque coagulabilitatem evehunt, ad morbum tollendum aptissima et efficacissima existimem. Haec ipsa experientia, nec non conditiones, scorbuti genesi faventes, summa cum probabilitate concludi jubent, causam vitiosae mixtionis proximam in sanguine, seorsim in oxygenii defectu, hydrogenii, carbogenii et azoti abundantia, cerni. Hoc mixtionis vitium causis directis, v. gr. atmosphaera insalubri, corrupta, inspiratione aëris oxygenii inopis, principiis phlogisticis abundantis, posse induci, vix dubitationis aliquid recipit.

Ubicunque igitur multi homines angustis clausisque tenentur locis, carceribus, nosocomiis, navibus, castris, ubi vegetabilia putrescentia, paludes, lacus haud procul absunt, summatim, ubi gasis hydrogenii et azotici largioris evolutio evenit, creberrime nascitur scorbutus. Quam ob rem frequentior morbus in borealibus, quam australibus regionibus exstat, maxime quidem ob aërem

nebulosum humido-frigidum, nec non lacuum paludumque frequentiam in oris maritimis Bataviae, Daniae, Norwegiae, Angliae, Scotiae.

Aëris corrupti inimicitia tanto facilius scorbutum concitat, quanto major corporis opportunitas ad humorum decompositionem, quanto laxior et torpidior constitutio, quanto magis assimilationis opus victu pravo, dyspepto, parco, vegetabilium recentium inopia, carnium pinguium, salitarum, fumigatarum, aut piscium abusu, exercitationis defectu, nimia segnitie, deprimentibus animi affectibus, moerore, sollicitudine, curis, nostalgia, morbis denique praegressis, labefactum est. Viri temperamento phlegmatico praediti, exantlatis periculis et aerumnis, longe facilius scorbuto submittuntur, quam mulieres, temperamento alacriori animique levitate insigniores. Eandem ob causam scorbutus, irruentibus inimicitiis externis, ea potissimum corpora adgreditur, quae febribus intermittentibus diuturnis, haemorrhagiis profusis, typho putrido, lue venerea, rhachitide, diuturna in nosocomiis domibusque obsidionalibus commoratione, exhausta itaque ad conflandam cachexiam, scorbuto propriam, maxime prona sunt.

§. 52.
ULCUS SCROPHULOSUM.

Morbi scrophulosi vel manifesti vel occulti sistit symptoma. Si illud est, diagnosis facilis esse consuevit; sin hoc, multo difficilior; verum hic quoque universus aegrotantis habitus morbi indolem saepe indigitat, quippe qui diathesin scrophulosam universalem magis minusve expromat.

Corpus plenum, sed laxum, cutis levissima, tenerrima, alba, pellucida, comae flavae aut rutilae, caput praegrande, animi dotes eximiae, praematurae, facies leucophlegmatica, pallida, aut laeto circumscripto rubore notata, ut plurimum formosa, vultus placidus, oculi plerumque permagni, coerulei, sed imbecilli, saepe lacrymantes, cum pupilla dilatata, alae nasi sufflatae, humidae, crustis obsessae, os salivae plenum, labium superius reflexum, dentes albi, tenera aetate sani, provectiore exesi, mandibula lata, collum breve et crassum, glandularum cervicalium aliarumque tumores, glandularum mesaraicarum obstructio, inde venter tumidus, durus variaque adversae valetudinis genera; crebra epistaxis, gravedo, catarrhus chronicus, multa digestionis vitia, ut acescentia statusque pituitosus primarum viarum, irregulares alvi excretiones, vermes intestinales, rerum insolitarum appetentia, inprimis tuberum solani tuberosi, panis cibarii aliorumque farinaceorum cupiditas; — febricitationes parum certae decursus typique irregularis, exanthemata variae formae, palpebrae escharis obsitae, aut pure suffusae, otorrhoea, tinea capitis, impetigines herpeticae, partium singularium, inprimis articulorum, faciei, scroti, tumores lymphatici, rel. communia habitus scrophulosi criteria exhibent, quae, prout numerosiora aut pauciora exstant, vel diathesin, vel dyscrasiam scrophulosam exquisitam, itaque plus minus ulcerum naturam dilucidant.

§. 53.

Forma horum ulcerum singulari sede differt, prout vel sola cutis, vel tela cellulosa ei substrata, vel glandulae, vel ipsa ossa scrophulosam ulcerationem experta sunt.

Quodsi morbus cutem tenet, ulceratio nonnisi superficiaria est; parum materiae purulen-

tae celeriter arescentis crustarumque instar ulcus obsidentis, secernitur. Vitio aliquanto penitius in cutem descendente, circa ulcus areola animadvertitur leviter inflammata, cujus rubor non stricte circumscriptus, peripheriam versus dimanat paulatimque exstinguitur. Saepenumero ulcus, aliis vel in vicinarum vel remotiorum partium superficie efflorentibus, hic illic sponte sanatur, sed quantumvis superficiem tenuerit, nunquam non cicatricem irregularem, ut plurimum laevem et pallidam, quandoque callosam et deformem, relinquit.

Ubi ulcus telae cellulosae corio subjectae insidet, primum cutis attollitur, pulticularis, demum rubra evadit, parum dolet, ruborem magis violaceum quam rosaceum aemulatur. Tumor plerumque strictis limitibus circumscriptus, abscessum, quem dicunt, frigidum fingit, qui, licet fluctuatio sit manifestissima, tardius rumpitur, si naturae committitur. Ulcus hac ratione coortum margines offert purpureos, laxos, a fundo diductos, fundum vel pallidum, vel lividum, fungosum, inaequalem, qui initio pus benignius et spissius, ingravescente autem morbo saniem viscidam mucosam, aut serosam edit, et colore et odore lacti coagulato utplurimum similem, quamobrem caseosam appellari convenit.

§. 54.

Glandula lymphatica si ulcerationi scrophulosae submittitur, id quod glandulis submaxillaribus et cervicalibus prae ceteris commune est, primum tumet, dolet, durescit, salebrosa evadit et plus minus privatur mobilitate. Cutis glandulae superinjecta cum ea concrescit, exuto colore normali, rubella, dein purpurea apparet atque in tumorem exiguum, fluctuantem, multa duritie cinctum, elevatur, qui ruptus, torpidum ulcus cum areola rubro-violacea, marginibus laxis, iniquis, sinuosis, vel intro flexis, fundo pallido, lardaceo, pure lymphatico exhibet, quod pariter ac reliquae desorganisationes scrophulosae, per intervalla in melius abit, saepe conglutinatur et recrudescit. Tempestas annique tempus in hasce ulcerum scrophulosorum mutationes plurimum valere videntur: ineunte enim autumno omnia plerumque symptomata mitescunt et per hiemem morbus conquiescit. Redeunte autem vere, quo naturae vires excernentes maxime vigent, repetita violentia malum recurrit.

§. 55.

Morbus denique ossa adgredi eorumque destructiones potest moliri, quibus fit, ut, mixta indole, ulcerum forma mutetur. Verum etiam complicationes cum carie, aut spina ventosa, nullatenus impediunt, quominus specifica ulcerum scrophulosorum criteria: indoles inflammationis cutaneae, ulceri praeviae vel cujuscunque tumoris aut abscessus, chronica atque torpida, color fundi ulceris pallidus et languidus, laxitas et rubedo violacea partium finitimarum, margines a fundo diducti, secretum serosum atque caseosum, summa mali pertinacia, periodicum ejus incrementum atque decrementum, cicatrices deformes, hisce ulceribus communes rel. satis emineant ac diagnosin confirment. Ceteroquin sedes genuinam morbi naturam ex parte prodit: experientiae enim consentaneum est, ossium longorum et brevium capitula, cartilagine obducta, nimirum genuum, cubitorum, manuum, pedum atque digitorum articulos, prae ceteris scrophulosae dyscrasiae submitti. In compluribus etiam ginglymis morbus eodem tempore, partim vera ulceratione, partim ossium

tumoribus sese solet manifestare. Neque minus cartilagines nasi multo facilius, quam ejus ossa, scrophuloseos inimicitiis obnoxiae sunt, saepius enim illae ex toto consumtae cernuntur, antequam destructio cum his communicetur, quae autem invalescente malo haud quaquam salva evadunt.

§. 56.

Scrophulosis primitivum systematis lymphatici morbum constituit, cujus de natura medici in varias abeunt sententias; alii in solidis, alii in liquidis partibus, modo igitur in prava lymphae indole, modo in vasorum lymphaticorum vel dynamico vel organico vitio, causam proximam collocant. Plerique autem medicorum, ad illustranda morbi phaenomena et explicandum remediorum salubrium agendi rationem, ad specificam acrimoniam confugiunt, cui vim irritantem, omnia organismi systemata offendentem, succos nutritios inspissantem indolemque acidam (singulatim phosphoricam), imo putridam, contagiosam tribuunt. Contagiositas quidem plerisque negatur, quippe quae repetitis observationibus repugnare videatur, veruntamen Selle, Weber, Bronzel, Bordeu, Langhans et alii in contrariam partem, exempla afferunt; imo Hufeland [16]), licet scrophulosin per se contagiosam diffiteatur, ex acrimonia scrophulosa, ubi maximus sit corruptelae gradus, contagium germinare posse, largitur. Sunt etiam, qui contendant, acrimoniam scrophulosam nihil aliud esse, nisi luem veneream degeneratam, syphilidis productum in altera progenie, sive syphilidem ipsam, generationis processu transpositam et mutatam, luem larvatam [17]). Neque defuerunt, qui hancce acrimoniam putarent specificam, contagio syphilitico affinem, quae etiam herpeti, gonorrhoeae et fluori albo subsit [18]). Alii scrophuloseos indolem in variis corporibus variam existimant, ita quidem, ut illi proximam causam in primarum viarum acido, vel succo gastrico uberiori atque corrupto [19]) vel succi nervei alienatione [20]), vel humorum universorum lentore cum partium solidarum laxitate [21]), imo adeo in pancreatis et mesenterii vitio [22]), hi vero in nimia systematis lymphatici irritabilitate statuque vasorum et glandularum lymphaticarum inflammatorio, causam illam secuto, vel, quod sectatores incitationis theoriae opinantur, in universa asthenia ac debilitate systematis lymphatici ponant.

---

16) Ueber die Natur, Erkenntnifs und Heilung der Scrophelkrankheit. Dritte Auflage. Berlin 1819. p. 88.

17) Astruc de morbis venereis. Venet. 1760. T. II. p. 7. Sauvages nosol. method. Genev. 1763. T. III. p. II. p. 240. Plenk's Neues Lehrbuch von den Geschwülsten. Dresden 1776. p. 104. Bierchen Abhandlung von den wahren Zeichen der Krebsschäden und auch der venerischen und scrophulösen Geschwüre. Göttingen 1785. p. 38. Hausmann de morbis venereis larvatis. Göttingen 1778. Rosensteins Kinderkrankheiten. Göttingen 1785. l. 27. Platner Einleitung in die Wundarzneikunde. Leipzig 1786. pag. 249. Hecker Dissert. qua morbum syphiliticum et scrophulosum unum eundemqeu morbum esse evincere conatur. Halae 1787.

18) Selle medic. clin. Wien 1797. Siebente Auflage p. 212.

19) Vogel, Vorlesungen über die Erkenntnifs und Kur der Krankheiten. A. d. Latein. v. Pohl. Leipz. 1780. p. 699.

20) Gamet, Theorie nouvelle sur les maladies cancreuses, à Paris 1772. Vol. I. p. 262.

21) Manning, Neue Entdeckungen in der Arzeneikunde. Leipzig 1786. Theil I. pag. 181.

22) Kaempf, Von den Krankheiten des Unterleibes. Leipz. 1821. p. 283. Armstrong, essay on the diseases most fatal to infants. Lond. 1771.

Nulla hypothesium appositarum, in quibus defendendis medici, varia systemata secuti, desudaverunt, scophuloseos naturae clariorem lucem affundit. Omnia, de quibus retulimus, vitia tam fluidarum quam solidarum partium vel adesse, vel abesse possunt, quin ipse morbus scrophulosus adsit, vel absit; desideratur ergo nexus causalis legitimus, ex quo morbi indoles deducatur. Scire autem oportet, morbum scrophulosum non esse simplicem, sed compositum, cujus primitiva sedes tam fluidis quam solidis systematis lymphatici partibus, i. e. tam vasis et glandulis, quam ipsi lymphae assignanda sit, siquidem solida et liquida commercium mutuum alant intimum, itaque suas conditiones quantitativas et qualitativas invicem proferant atque sustineant. Proinde scrophulosis morbum et vitalem et chemicum, sive, quod Haase [23]) recte monet, dynamicum, organicum et chemicum sistit. An vitium dynamicum vasorum, utrum chemicum lymphae primariam morbi causam exhibeat, difficillimum est diremtu. Alterum probabilius mihi videtur priori, quamquam plerique pathologorum in contrarias partes abeant. Quod quidem experientia et accuratior omnium hujus morbi symptomatum observatio docet, proximam scrophuloseos causam in adaucta totius systematis lymphatici irritabilitate, universae debilitati innixa collocandam arbitror, quae a vitiata humorum, speciatim lymphae mixtione, assimilationis vitiis inducta, pendeat.

Ad confirmandam hancce sententiam experientiae testimoniis uti licet, quae, quidquid lymphae vitiosae confectioni faveat, quidquid tonum fibrarum, inprimis lymphatici systematis, infringat, relaxet, irritabilitatem igitur ita alienet, ut secretionis et absorptionis mutatio subsequatur, cachexiae scrophulosae ansam praebere, docent. Hanc ob rem corpora debilia, laxa, sexus sequior, aetas infantilis, ad hunc morbum magis propendent; eandem ob causam omnes injuriae, quae assimilationis instrumenta offendunt, irritabilitatem morbosam constant succosque nutritios crudos efficiunt, morbum scrophulosum gignunt, praesertim vigente dispositione hereditaria, qua vero absolute opus non est. Singulatim huc referuntur morbi aut praegressi, aut in corpore adhuc subsistentes, praeprimis qui lymphaticum systema alienant, aut digestionis organa disturbant, ut febres gastricae, vermes intestinales, acida primarum viarum, tussis convulsiva, variolae, morbilli, scarlatina, onania, prae ceteris lues venerea; neque minus animi pathemata deprimentia diuturna, ut moeror, sollicitudo, metus, terror, educatio severior et inimica; cibi incongrui, dyspepti, relaxantes, maxime vegetabiles, ut abusus leguminum, farinosorum, tuberum solani tuberosi; aër humido-frigidus, admodum variabilis, domiciliis inclusus, domus udae, insalubres, immundities, cutis neglecta cura, somnus nimius, exercitationis defectus, regimen calidius, praematuri mentis lobores, multa alia.

§. 57.

ULCUS ARTHRITICUM.

Arthritidis aut manifestae aut larvatae exhibet symptoma, quo fit, ut ulceris incrementum et decrementum vel insultuum arthriticorum periodismum sequatur, vel ei sit oppositum, ita quidem,

---

23) Ueber die Erkenntnifs und Kur der chronischen Krankheiten. Bd. III. Abschnitt I. 1818. pag. 405.

dem, ut sanescente aut mitescente ulcere paroxysmi arthritici irruant, vel jam ingressi exacerbentur. Quodsi ulcera nodis arthriticis inflammatis ulceratisque, vel injuriis externis accidentalibus, dum insultus arthritici vigebant aut praeterierant, originem debent cumque iis nexum causalem intimum alunt, ita ut vel consensualem vel antagonisticum sistant effectum, diagnosin facilem opinari licet. Sin aeger nunquam arthriticis doloribus laboravit, si morbus arthriticus universus, corpori insitus, nonnisi uno pluribusve ulceribus sese prodit, sincera mali diagnosis haud raro summis difficultatibus premitur; quod si est, haec praecipue medico sunt intuenda:

I. Symptomata, quae adsunt, communia, quibus insultuum arthriticorum, decursum normalem persequentium, partim introitus nuntiatur, partim reliquae arthritidis anomalae formae stipantur, aut vicissim excipiuntur. Istiusmodi sunt:

a) Omnia turbatam functionem ventriculi, hepatis aliorumque viscerum abdominalium indicantia, ut digestio hebes, ciborum appetentia vel praeter modum aucta, vel imminuta, nausea et vomitus, ructus amari, saepius acidi, morbosa bilis et muci secretio, venter sufflatus, facies lurida, leucophlegmatica, tussis abdominalis, alvi excretio cohibita, saepenumero diarrhoea repetita, colicis doloribus juncta, morbosa ventris irritabilitas, praepeditus per vasa abdominalia, inprimis venam portarum, sanguinis circuitus, molimina haemorrhoidalia, hypochondria et hysteria, inde convulsiones variarum partium, cordis palpitationes, hemicrania, vertigo, similia, cum ingente aegroti pusillanimitate et solicita sui ipsius cura.

b) Urinae secretio abnormis. Tam organa secretoria, quam excreta a sueta norma recedunt; aegroti enim dolores fugaces, intercurrentes renum vesicaeque urinariae conqueruntur, lotium, haud raro parcissimum, cum urente urethrae dolore secedit, blennorrhoeae partium genitalium, irritationis vel praeteritae vel adhuc subsistentis indicia, nascuntur. Urinae partes constituentes jam ante ulcerum et paroxysmorum arthriticorum accessum mutatae apparent, parum enim vel nihil sodae uricae et calcariae phosphoricae inest; finito autem insultuum circuitu, harum partium uberior copia deprehenditur.

Haecce perversa urinae secretio saepenumero in chronicos renum morbos, arenularum et calculorum formationem, degenerat.

c) Cephalalgia et hemicrania, vel periodicae vel continuae, utplurimum juxta cranii suturas porrectae, odontalgia, fluxiones, artuum dolores vagi, plus minus acerbi, prosopalgia, coxalgia et lumbago, cardialgia, passiones colicae, varii generis impetigines, haemorrhagiae, blennorrhoeae, ophthalmiae arthriticae. Non raro haec symptomata arthritidis regularis vices sustinent intimumque alunt commercium cum ulcerum alterno incremento atque decremento.

II. Aegrotus ipse, sive ejus constitutio. Raro, vel nunquam ulcera arthritica junioribus superveniunt, sed post annum demum aetatis tricesimum quintum emergunt; eadem rarius mulieres, quam viros adgrediuntur. Isti praeterea viri habitu arthritico singulari, aut hereditario aut adventitio, insigniuntur, qui corpore pleno, succulento, textura musculari firma, cute pilosa hispida, capite praegrandi, artubus longis, temperamento sanguineo-cholerico sese prodit.

III. Ulceris pertinacia, periodicum decrementum atque incrementum. Communia remedia vana sunt; omnes medendi conatus per multos saepe annos, quin causam localem, ab ulceris forma aut structura repetendam invenias, tenaciter respuuntur, inprimis si malum habituale uni-

varias adversae valetudinis species promat. Recentiores pathologi arthritidem in articulorum inflammatione cerni, disertis verbis asserunt [41]).

§. 59.

Longum est, omnes enumerare sententias hac de materie propositas; quas attulimus, minime sufficiunt, ut certum de arthritide feramus judicium. Nihil igitur restat, quam ut momenta causalia et morbi symptomata, tam dynamica quam materialia, rite examinemus iisque medendi rationem, experientiae legibus atque testimoniis consentaneam, superstruamus.

§. 60.

Experientia edocti, arthritidem, praevia dispositione, aut hereditaria aut adventitia, praecipue oriri scimus, si injuriae, assimilationis processum partim disturbantes, partim urinae secretionem et cutis transpirationem alienantes, organismum offendant. Quare sexus potior, robusto donatus corpore, crebrius sequiori, idemque absoluta demum evolutione, quoniam illatis inimicitiis diutius resistere solet, arthritidi submittitur; diaeta incongrua, vel debilitans, vel digestioni haud consentanea, lauta, animalis, spirituosorum, vini recentis austeri, acidi, abusus, desidium, diuturni mentis labores, multae lucubrationes, excessus in venere, animi affectus violenti, immodicum humorum dispendium, morbi praegressi, repentina temperieri vicissitudo, transpiratio cutis suppressa, impetigines male curatae, summatim injuriae, quae digestionis et assimilationis opus labefaciunt corporique valido, pleno, irritabili, repugnant, arthriticum morbum concitant. Quaecunque phaenomena arthriticos insultus antecedunt, vel comitantur, abnormi assimilatione, transpiratione et uropoësi nituntur, ut ciborum appetitus vel praeter modum auctus, vel imminutus, digestio segnior, ructus acidi, viscerum abdominalium physconiae, molimina haemorrhoidalia, hypochondriaca, hysterica, transpirationis atque uropoëseos quantitativae et qualitativae mutationes. Jam ante dolorum insultus urinae sudorisque partes constituentes mutantur. Lotium vel parum vel nihil sodae uricae et calcariae phosphoricae [42]) continet, quae partes, absoluto paroxysmo febrili, solito largiores in urina et sudore deleguntur. Lotium quoque sedimentum cretaceum, calcareum dejicit, quod vasis adhaerescit; sudor acidum redolet ac vestimentis aliisve involucris materiae calcareae instar adglutinatur maxime in partibus arthritide obsessis. Increbrescentibus, vel in longius protractis insultibus arthriticis, circa articulos nodi arthritici, quos dicunt, exoriuntur, quibus concrementa cretacea, (partim calcaria phosphorica) [43]) insunt; ceteroquin varia articulorum desorganisationes emergunt.

Est etiam, similes materias arthriticorum dentibus inhaerescere, imo, quod crebrius est, in organis uropoëticis depositas, morbos renum chronicos, arenulas, calculos, rel. excitare.

---

41) Haase, Erkenntniſs und Kur der chronischen Krankheiten Bd II. pag. 379. Langenbeck, Nosologie und Theraphie der chirurgischen Krankheiten. Gött. 1822. Bd. I. 488.

42) Fourcroy ad Rollo du diabete sucré. Paris 1799. S. Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. Bd. XVIII. p. 7.

43) Colomb. med. chirurg. Werke. A. d. Franz. v. W. Harke. Braunschweig 1800. p. 125. Vauquelin in rapport général des travaux de la societé philomatique. V. II. p. 30. Wollaston in Scherers allgem. Journ. d. Chemie, Hft. 22. u. in philosoph. transact. 1797. V. II. n. 17.

§. 61.

Quibus in facto positis, sequentia licet ratiocinari:

1) Arthritidi subesse singularem digestionis instrumentorum alienationem, quae universum assimilationis et secretionis opus disturbet.

2) Dictam alienationem, favente quadam dispositione, iis causis occasionalibus induci, quae vel singulares materias, salium supra dictorum abundantiam efficientes, corpori advehant, vel assimilationis organorum legitimam actionem specifica, nobis incognita, ratione ita labefaciant, ut sales illi producantur.

3) Arthritidem tum demum evolvi, cum organismus sales illos, quibus abundat, neque per cutem, neque per vias uriniferas excernat; ad gignendam ergo arthritidem non tantum materiarum illarum abundantiam, sed etiam retentionem in corpore requiri.

4) Alienatis secretione et excretione sales dictos vel articulos et ligamenta tendinesque ibi dispositos afficere, vel in organis excretoriis accumulari.

5) Eandem ob rem lithiasin non modo arthritidi esse analogam, sed utramque morbi primitivi ejusdem variam exhibere formam.

6) Arthritidem non esse morbum mere dynamicum, sed potius vitio materiali, in abnormi mixtione succorum nutritiorum posito, superstructam, nunc igitur exaltatam, nunc diminutam actionem comitem habere eademque de causa modo curationem excitantem, modo antiphlogisticam et demulcentem. antarthriticis remediis nuptam, reposcere.

§. 62.

Haec quidem graviora sunt, quae hucusque de arthritidis natura nobis innotuerunt. Num contagiosa sit arthritis, difficillime dirimitur [44]). Exempla testari dicuntur, conjuges amplexibus venereis secum communicasse morbum; famulos, dominorum podagra exstinctorum calceis atque tibialibus usos, qui vix nomine arthritidem novissent, esse infectos. Quae res in facto positae, patrisque observationes per tria decennia collectae, arthritidem per se quidem contagiosam non esse, sed oblatis conditionibus, inprimis exorbitante gradu vigenteque dispositione, ab homine ad hominem posse transplantari, fidem faciunt.

§. 63.

ULCUS HAEMORRHOIDALE, VEL MENSTRUALE, VEL ABDOMINALE.

Forma sedeque ab aliis distinguitur ulceribus, semperque originem debet haemorrhoidibus aut menstruis suppressis, irregularibus, aliisve viscerum abdominalium morbis. In artubus tantum inferioribus, maxime mediis suris, emergit, raro in superiori aut inferiori loco. Symptomatum ordo

---

44) Riedlin, Millenarius n. 453. — Pietsch, Geschichte pract. Fälle etc. — Ephemer. nat. curios. dec. II. Ann. VII. obs. 192. Dec. III. Ann. VII u. VIII. obs. 130.

hic fere est: varices apparent in extremitatibus inferioribus, modo magis tumentes, mode subsidentes; interposito aliquo tempore alicubi cutis varici superinjecta vel externa quadam causa, ut pressione, ictu, frictione, aut sua sponte, in inflammationem datur; locus affectus colorem obtinet purpureum, aut violaceum, dolorem promit, saepeque pruritum inimicissimum movet. Quibus augescentibus, cutis inflammata tumescit, calet, dolet, telaeque cellulosae abscessum imitatur.

Biduo triduove elapso, ulceratur locus multumque ichoris tenuis, aquosi, sanguine coagulato remixti, aut meri sanguinis, reddit. Ulcus inde natum semper formam primitivam habet rotundam, quae coeuntibus pluribus ulceribus mutatur in irregularem. Margines fundo adnati sunt, velut praecisi, fundus planus, multis punctulis cruentis distinctus, colore carnem bubulam crudam aequat, facillime sanguinem profundit. Utplurimum ulcus parum ichoris tenuis, cruenti secernit, interdum vero, praesertim menstruis fluentibus, quibus omnia symptomata exacerbari solent, haemorrhagiae periodicae irruunt. Partes ambientes per satis magnum circuitum purpureo fuscae aut violaceae, varicibus, in nova ulcera abituris, obsessae sunt. Ulcus sedem modo in tela cellulosa figit, cum partibus adjacentibus nunquam communicatur; neque in altitudinem nec latitudinem serpit, sed longum per tempus formam retinet primitivam, nisi vel coeuntibus pluribus ulceribus, illatisve aliis injuriis, amplificetur, aut indolis mutationem experiatur

§. 64.

Proxima horum ulcerum causa, quod nomen innuit, in fluxu haemorrhoidali, aut menstruali suppresso, irregulari, vel humorum stagnationibus in vasis abdominis cernitur. Quidquid ergo sanguinis circuitum in ventre imo retardat, causis occasionalibus adjudicandum est. Causae communes sunt: graviditas, status multus inter graviditatem, parturientium labores graviores, quibus pedum varices concitantur; non raro haec ulcera menstruorum vices agunt, quod periodica sanguinis profusio probat, saepissime eorum cessationem sequuntur. Neque minus tumores in ventris cavo exorti, quibus sanguinis circuitus praepeditur ejusque impetus ad inferiores extremitates fertur et viam quasi foras sibi patefacit, hisce ulceribus ansam praebent. Viris haec ulcera potissimum ex haemorrhoidum fluxu suppresso, vel dispositione haemorrhoidali superveniunt morbumque vicarium sistunt. Quodsi homines, molimina haemorrhoidalia nunquam passi, his corripiuntur ulceribus, quod interdum accidere, testis est experientia, longe difficilior diagnosis redditur solaque autopsia, respectis nimirum singularibus ulcerum criteriis, confirmatur.

§. 65.

ULCUS SYPHILITICUM.

Originis respectu in **primarium** et **secundarium** dispescitur; interest enim, num infectionis ipsius, utrum syphilidis universalis effectum sistat. Utraque species et forma et decursu ab aliis ulceribus facile discernitur.

Biduo, triduo, quatriduo ab infectione syphilitica elapso, raro prius aut serius, maxime post coitum impurum, in superficie genitalium, aut conterminarum, partium, praevio pruritu, quo frequentes concitari solent erectiones, locus exiguus rubicundus, inflammatus apparet, qui vel in no-

dulum rubrum inflammatum, vel in vesiculam elevatur, limpido humore impletam, quae rupta in ulcusculum, excoriationi simile, mutatur, cujus margines paulo post elevantur fundusque pure tenaciter inhaerente lardaceus redditur.

Ulcus deinde vel celerius vel tardius in latitudinem et altitudinem crescit, figuram retinet fere circularem, marginem durum, albo nitidum, fundum lardaceum haud minus callosum, sed planum, omnis granulationis expertem. Pus plerumque albidum, aut flavescens, aut viridescens, tenax, mucosum, linteis illitum atque arefactum sebi liquefacti ad instar nitet. Partes ambientes normae respondere solent, attamen circa ulcus exstat orbiculus purpureus, aut cupreus, inflammatus, qui, secus ac aliorum ulcerum areola, nunquam diffunditur, sed ulceris limitibus stricte circumscribitur. Ceteroquin ulcus dolore propemodum caret, nunquam natura sanatur, sed in latitudinem et altitudinem serpit, aut novis sepitur ulceribus et si demum remediis specificis contagiosam exuerit indolem, cicatrix non telae cellulosae destructae, sed cutis regeneratione, aut si ulcus praeputii extrema tenet, utriusque corii marginis reunione efficitur, quo fit, ut vel cicatrix ulceris amplitudinem obtineat, vel cutis contracta aut coarctata remaneat.

Tota genitalium superficies, creberrime autem glans penis et praeputium, frenulum, labia majora et minora, clitoris, fossa navicularis, mammarum papillae, labia oris, ut paucis dicam, omnes partes ad venenum syphiliticum recipiendum idoneae ulceribus venereis sedem largiuntur.

§. 66.

Ulcus syphiliticum secundarium, luis universalis symptoma, in tota systematis cutanei et membranacei superficie, maxime in iis corporis partibus apparet, in quibus ossa integumentis communibus subsunt, ut capite, fronte, tibia, saepissime in cavo oris et narium, rarius in labiis, glande penis, nymphis. Quod igitur attinet sedem, ulcera syphilitica secundaria discernuntur ea, quae in rubra et humida tunica, et ea, quae in alba et sicca cute nidulantur. Quod attinet priora, aegroti initio affectionem catarrhalem, quae videtur, conqueruntur, quae in cavo narium gravedine in cavo oris aut faucium siccitate, deglutitionis, manducationis, loquelae difficultate, prout sedes differt, manifestatur. Facta exploratione, unus alterve locus observatur rubefactus; rubedo nunquam diffluit, sed loco cutis affecto stricte limitatur, in lividum, cupreum, non in roseum abit. Locus inflammatus tandem ulceratus, in lardaceum mutatur ulcus, cujus pus difficillime abstergitur aut tenacissime adhaerescit; forma ad ulcerum primariorum naturam quam proxime accedit.

Paulo alia symptomata in corporis superficie partibusque cute alba sicca, obvestitis haecce ulcera promunt. Utplurimum luis universae phaenomena iis antecedunt, vel associantur: ossium tophi, glandularum tumores inflammatorii, dolores osteocopi, carunculae, condylomata, maculae cutis syphiliticae, alia vegetationis anomalae cutis indicia. Tandem cutis locus stricte circumscriptus lividus, purpureus, cupreus, interdum pulticularis apparet multoque demum post in ulcus abit.

Quo facto, et cutis jactura et puris copia plerumque tam exiles sunt, ut aëris oxygenii accessu pus in escharam vertatur, quae si decidit, locum ulceratum cuticula bene munitum ob oculos ponit. Reliqua criteria hisce ulceribus syphiliticis cum primariis communia sunt; discrimen enim ulcerum locali et universali syphilide inductorum in eo tantum cernitur, quod illa

multo celerius et potentius, quam haec, telam cellulosam adgrediuntur, quod pus secernunt uberius longeque rapidius ab inflammatione ad ulcerationem provehuntur

Ne multus sim et dissertationis limites egrediar, ulcera sic dicta pseudosyphilitica rel., hic missa faciam.

§. 67.
ULCUS CARCINOMATOSUM.

Hocce ulcus scirrho efficitur ulcerationi submisso omnemque fere medelam respuit. Initio speciem offert rugosam, salebrosam; superficies substantiam promit purpuream, degeneratam, carni similem, margine elevatiorem. Fundus partesque ambientes durae, scirrhosae, papillis verrucosis, sanguinem facile dimittentibus, obsessae, sanies tenuis, acerrima, caustica, saepe foetidissima, cruenta, nigra, viridiuscula, generatim versicolor, indolis odorisque peculiaris est. Margines raro fungosi, utplurimum solidi, durissimi, callosi, iniqui, pallidi, cinerei, coerulescentes, nigri, virides, variegati, admodum dolorifici, modo introrsum modo extrorsum reflexi, velut montium juga elevati apparent. Partes confines rubrae, inflammatae, dolorificae, varicosae, quandoque oedematosae aut emphysematosae conspiciuntur. Aegroti perpetuos dolores, tanquam pruna imposita effectos, vel acuum puncturis similes, conqueruntur. Glandulae vasaque lymphatica vicina tument dolentque, ulcus rapide serpit materiasque organicas a centro ad peripheriam depascendi nisum portendit. Utplurimum haemorrhagiae, diarrhoeae, lipothymiae, febris lenta, devastationi terminum imponunt.

Margo fundusque duri et callosi effecerunt, ut ulcus carcinomatosum cum syphilitico recenti confunderetur, quippe quod ipsum margine ac fundo callosis a reliquis ulceribus distat, Veruntamen margo durus callosus, ulceris syphilitici celerius excolitur, quam carcinomatosi, majorem exhibet symmetriam limitesque strictiores. Fundus ulceris carcinomatosi non minus quidem durus, imo durior, quam syphilitici, ut vero hujus fundus laevis, illius salebrosus, haud raro fungosis excrescentiis obsitus est; carcinomatosum ulcus facillime edit sanguinem, non venereum; illius margo et fundus tardissime, hujus autem celerrime resorbentur, perinde ac renascuntur. Ulceratio syphilitica, rapidius procedens, partium cohaesionem ab exterioribus versus interiora, carcinomatosa autem ab interioribus exteriora versus evertendi, nisum prodit.

§. 68.
ULCERA IMPETIGINOSA.

Ulcera chronicis cutis efflorescentiis, vel topicis vel universalibus, orta nobisque impetiginosa dicta, haud raro confunduntur, quoniam morborum illorum causae multis adhuc tenebris premuntur. Saepius ulcerum phagedaenicorum, nomatis, rel. nomine impertiuntur. Varietates vero horum ulcerum non minus sunt numerosae, quam impetiginum.

I. ULCUS SERPIGINOSUM, HERPETICUM, HERPES EXULCERATUS.

Criteria hujus ulceris sunt: pruritus ardorque ingens, pustulae, squamae satis crassae, inflammatio erysipelacea, intumescentia; sanies urens ac rodens, odore specifico empyreumatico insignis. Her-

Herpes simplex modo in latitudinem serpens, partibus cuti subjectis parcit; ulcus, hic sanescens, illic amplificari, quasi proreptare, consuevit.

Sin herpes exedens, qui vocatur, faciem crebrius aliis partibus adgrediens, ulceri subest, non in latitudinem tantum, sed in altitudinem quoque celeriter crescit, integrasque saepe partes, magno foetore ac putredine oblatis, in ulcerationem vertit, aut prorsus exasperat. Sanies mucum viscidum, foedum aemulatur, in crustas arescentem, quae furfurum instar dejiciuntur, aut satis siccatae manibus conteruntur.

II. ULCUS SCABIOSUM, HELCOSIS SCABIOSA.

Utplurimum margines refert prurientes, crassos, crustaceos, vesiculas periphericas, altius descendentes, multo ichore scatentes; sanies, finitimas partes erodens, pinguiuscula, mucosa, odorem scabiei specificum spirat; saepius ambientes partes inflammatione erysipelacea tument.

III. ULCUS LEPROSUM.

Aut superficiarium est et circulare, vel alta petit, interdum ossa, ut integra secedant membra. Rimae nascuntur altae, callosae, ichorem edentes cruentum, cadaverosi odoris, qui arescens escharam crassam, fuscam, magnis squamis delapsuram, conformat. Ulcus elephantiasi inductum superficiem promit fungosam, aut granulosam, rubi idaei fructibus similem. Vicina tumida, tuberosa, rubro-nitida sunt. Tunicam obsidens muciparam, v. s. faucium, ulcus syphiliticum maxime aequat, parum vero aut nihil movet doloris, tarde dimanat. Praeterea partium cohaesio ulceribus leprosis in latitudinem, syphiliticis vero in altitudinem evertitur.

IV. ULCUS NORWEGIENSE.

Maxime in superioribus corporis partibus, raro aut nunquam, in genitalibus solis, numerosum efflorescit; indolem prae se gerit foedam, squalidam, magnam pertinaciam; tarde quidem, sed longe lateque serpit, nonnunquam ossa petit, parum nihilve doloris infert, neque fungosum est, neque lardaceum; crusta obtegitur fusco-purpurea, aut violacea, squalida, dura, exesa, minus crassa; saniem edit tenuem, raro foetidam, margines exesi sunt, duri, partes ambientes saepe porriginosae, squamosae, varicosae. Cicatrices catenis similes.

§. 69.

Ulcerum impetiginosorum diagnosis plerumque praeviis morbis illustratur, aut sublevatur. Nunquam non impetigo quaedam antecedit, quae vel contagio specifico, vel rebus fortuitis, cutis fabricam aut vitam offendentibus, originem debet. Cutis cura neglecta, cum singulari ejus sensibilitate et in sudores copiosos aliasque secretiones propensione, nec non cutis hypersthenia, frictionibus, unguentis, emplastris irritantibus, vestimentis laneis, nudae cuti impositis, inducta, saepe proferendis impetiginibus sufficiunt, quae neglectae ulcerum formas subeunt.

Haec hactenus! Etiamsi inficias nemo sit iturus, in dignoscendis ulcerum speciebus atque varietatibus, aetiologiam et symptomatologiam universam, imo interdum notitiam a juvantibus et

nocentibus petitam, summi esse momenti, largiri tamen oportet, non minus ponderis tribuendum esse autopsiae, quatenus ad ipsum ulcerum habitum, formam scilicet peculiarem, secretum, mutationes, cicatrices, rel. spectet. Quemadmodum processus vitalis internus, quem varia morborum genera proferunt, haud dubie singulorum naturae certo quodam modo respondet, ita habitus externus, processui illi superstructus, certam promat normam necesse est, quae si iteratis observationibus medico innotuerit, mirifice diagnosin sublevare consuerit.

INDEX TABULARUM.

TYPIS AUG. GUIL. SCHADII.

